



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 8

Nowo-Tacin. Liter.-
937.
/I

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

Decadis III.

EXERCITATIO III.

De

# VIRTUTE

# MORALI IN GENERE

Practico-Philosophica.

*Pro disputationis exercitio ad sententiarum collationem proposita*

In Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico

*Respondentis partes expediente*

NICOLAO ARNOLDO

Lesnensi - Polono.

*Ad diem 23. Septembris. S. N.*

In Acroaterio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta, ANNO 1637.

Add. 27

## Miscellaneorum Decadis III. Exercitatio III.

# De Virtute & Vitio morali in genere.

I.

G*Ræci arctissimo inter Europam Asiamq; divortio Byzantium in Extremâ Europâ condere volentes, Pythium Apollinem consuluerunt, ubi conderent urbem. Redditum Oraculum est: quærerent sedem* cœcorum terris adversam. *Eâ ambage tùm Chalcedonij monstrati credebantur, quòd priores illuc advecti, parùm prævisâ locorum utilitate, pejora legissent. Namq; Byzantium fertili solo fœcundoq; mari extructum. Quia vis piscium in Pontum erumpens, & obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius littoris flexu, hos adportus ingente copiâ defertur. Vt habet* Tacitus l. 12. ann. c. 13. *Prudentem si super condendo moralis disciplinæ fine quis consulat, quâ maximè ratione illum sectari liceat, haud ineptè responsum ferat: quærat medium cæcorum moribus adversum.* Cœci *autem immoderatis affectibus & perturbationibus subjecti intelligantur, quos aversus à bono impetus ad nefas proripiat, & in vitiorum fœcundam suggrundam fœda ignorantiæ rabies præcipitet. Horum moribus adversum quærendum medium, quo salubriter in moralibus aliquid destines, & finem disciplinæ intendas.* Virtus *tale medium est, quæ prudenter cavet, ne quid in actionibus nostris desiat, ne quid superstet. Sola illa beatum facit,*

*nullaq; aliâ quisquam viâ hoc nomen adipiscitur, ut loquitur* Macrobius l. 1. in som: Scip. c. 8. *Veteres mythologos id innuisse credam, cum formosarum mulierum procos, cursu, certamine, disco, alioue periculo nuptias exambire jusserunt: scilicet, ne res egregias ullo, quàm per virtutem modo occupari posse indicarent, ignaviæ desidiæq; ærumnas relinqui ostenderent; secundum verissimum* Hesiodi *versum in* oper: & dieb: Αἰεὶ δ᾽ ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄταισι παλαίει. *Ærumnis tardus semper luctatur inersq;. Jam humanæ virtutis actum exequamur, & in generalem medij moralis indolem, divisiones, causas, affectiones ac similia cum DEO inquiramus.*

2. *Generaliter virtus considerari possit quâ ea, quæ* cuivis subjectæ sub virtute speciei *communia sunt. Hæc* vel *nominis* vel *rei sit discussio.* Nominis 1. in homonymiâ. *Sumitur vox virtus* 1. generalissimè, *pro omni perfectione rei ad statum rei convenientem pertinente. Quomodo* vel *potentiam in re notat,* vel *actum. Potentiam* vel *infinitam, quæ solius Dei est, sic supereminens magnitudo virtutis Dei in nos dicitur.* Ephes. 1. v. 19. *virtus resurrectionis Christi.* Phil. 3. v. 10. *virtus DEI,* 1. Pet. 1. v. 5. vel *finitam, ut cum magneti virtus trahendi ferrum, Rhabarbaro virtus purgandi bilem tribuitur. Sic virtutes cœlorum, plantarum, mineralium &c. dicimus.* 2. pro ipso *effectu & operatione alicujus potentiæ,* vel *increatæ, ut* Psal. 110. v. 3. *Populus tuus in die virtutis tuæ i. e. victoriæ de hostibus reportatæ.* Psal. 118. v. 16. *Dextera Iehovæ edit virtutē i. e. strenua opera:* vel *creatæ. Sic opera Christi dicuntur virtutes.* Matth. 7. v. 22. Marc. 6. v. 2. 1. Cor. 12. v. 10. vel *creatæ, sic Ruben prima virtus Iacobi dicitur.* Gen. 49. v. 3. 3. pro *deæ alicujus nomine, quæ Romanis colebatur & per cujus templum ad templum honoris procedere necessum erat.* Plaut. in Bacchid. a. 4. s. 8.

*Ita me Iupiter, Spes, Opis, Virtus, Venus, &c. ament.* 4. Ironicè *pro vitiis.* Ter. in Adelp. a. 2. s. 1. *Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.* 5. pro ope, *&* *auxilio*, Plaut. mili. a. 3. sc. 1. *Deûm virtute eundem hospitio accipiam.* 6. Pro *merito &* *præstantiâ.* Plaut. capt. a. 5. sc. 3. *incedit huc ornatus haud ex suis virtutibus.* Mostell. a. 1. sc. 3. *Virtute formæ id evenit. i. e. merito & præstantiâ.* 7. Specialiter, *quà homini soli tribuitur, & principium bonitatis in homine notat. Sic* vel secundariò *sumitur, pro naturali inclinatione, & dispositione ad virtutem. Quomodo semina virtutis ex lumine naturali in rectis ingeniis residua dicimus; Et Aristoteles* 1. Polit. c. 2. *virtutem de potentiâ ad virtutem dicit:* vel primariò, *pro habitu potentiæ superaddito, faciles actus suppeditante. Sic sumitur* vel *synechdochicè & Tropicè, pro specie aliquâ virtutis, fortitudine bellicâ, quam Græci sæpè* ἀρετὴν *solitariè vocant.* Cæsar. l. 1. bel. Gal. c. 1. *Helvetij reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd ferè quotidianis prælijs cum Germanis contendant:* Vel *propriè, pro virtute quacunq;. Sic iterum* vel generaliter, *prout virtutem* & *infusam divinitùs*, & acquisitam *humanitùs notat, Quomodo spem, fidem, caritatem, pietatem, virtutes Theologicas dicimus: Prout* & *virtutem intellectualem comprehendit, ut intelligentiam, scientiam, sapientiam, &c. hæc directè huc non pertinet, ut* c. 17. *patebit:* & *moralem, quæ perficit voluntatem in actu morali, ut temperantia, justitia &c.* vel specialiter, *prout virtutem moralem tantùm notat, quæ specialissimo sensu virtus dici solet. Et sic hoc loco maximam partem sumitur.* 2. In Etymologiâ, *quæ* Logica *nulla, est enim vox virtutis ultimatè abstracta, quæ prioris significati aliquam non habet:* Grammatica vel à *subjecto excellentiori sumitur, ita à viro virtus dicitur, cum enim maximè virtus addecet.* V.

 Cice-

Ciceron. 2. Tusc. qu. §. 43. *Vnde & sæpè prò præstantiâ militari & fortitudine animi sumitur, quæ in viris maximè eminet:* vel ab *effecto, quem subjecto conciliat, vigore ad præclara gerenda.* Allusiva *est* vel *â vi, quod vis quædam animi sit in arduorum aggresione & adversorum toleratione. Vnde* Boethius l. 4. d. cons. c. 7. *virtutem dictam ait, quòd suis viribus nitens non superetur adversis: vel â viri statu, aut artu, ut virtus quasi viri status aut viri artus dicatur, quia statum artusq́ viri verè perficit ad honesta agenda, improba declinanda.* 3. In Synonymiâ, *quâ dicitur etiam habitus moralis, perfectio morum, mores honesti, Græcis* ἀρετὴ, vel *â voce* ἄρης, *quæ Martem notat, quomodo synecbdochicè virtus interdum fortitudinem notat:* vel *ab efficiente, ab* αἱρεῖσθαι, *eligendo: quòd sit habitus electivus:* vel *ab effecto, ab* ἄιρω, *tollo, sublimo, quia hominum mentes in sublime attollit:* vel *ab adjuncto,* ἐράομαι, *amor, quia amabilis in se est, & hominẽ moratum amabilem aliis facit, ut* ἀρετὴ *quasi* ἐρατὴ *dicatur: Hebræis* חסד חֶסֶד *â* חִסֵּד, *quod in hithphaël benignum se exhibere notat:* תֹּם *&* מִתֹּם, *â* תָּמַם *absolvi, perfici. Item* מִדָּה *â rad:* מָדַד, *metiri, mensurare, quòd actus ad medium velut mensuram componat. Germanis* Tugend/ *â* tůgen/ *quòd multum valeat, tanquam insignis vis animi.*

3. *Hactenus* quà *nomen virtus spectata:* Quà *rem videbitur absolutè & respectivè.* Absolutè *in definitione, Caussis, subjectis, objectis, divisione, & affectionibus.*

4. Definitio *sit:* Virtus moralis est habitus voluntatis acquisitus electivus, mediocritatem in actibus secundum rectam rationem ex judicio prudentis determinatam servare docens.

5. *Ex* genere *dicitur* habitus voluntatis acquisitus ele-

electivus. Habitus & generaliter, *quia habetur à subjecto possidente:* & specialiter, *quia facit subjectum possidens certo modo se habere, & determinat facultatem ad bonum, quæ aliàs aut indeterminata est, aut ad malum prona: sicq; est qualitas firmè radicata, facilitans subjectum ad operandum honestum. In hoc enim specifica ratio habituum, qui in qualitate sunt, & dispositionibus contradistinguuntur, consistit, facilem reddere operationem in subjectis, ut alibi disputatur.* V. Coron. Gym. Log. t. 9. 10. *Esse autem hoc genus legitimum virtutis probari potest* & remotivè & positivè. Remotivè, *Quia non est potentia naturalis, nec affectus. E. habitus. Plura enim in animo, ut subjecto, non dantur. Quicquid enim in animo humano tanquam subjecto est,* vel *est potentia naturalis, ut vis cognoscendi, volendi, appetendi,* vel *affectus, ut amor, odium, lætitia, tristitia, &c.* vel *habitus, ut scientia, prudentia, ars &c. Quartum dari nequit, ut inductione rerum facilè constat.* Non est potentia naturalis. 1. Quia *potentiæ naturales sunt immutabiles in suis subjectis, & semper eodem modo procedunt, secundum illud: Retinet sua jura Natura. Sic vis rugiendi in leone, latrandi in cane, ratiocinandi & volendi in homine est immutabilis. Sed virtutes mutantur, illis enim modò assuescimus, modò desuescimus, ut leges docent, ex quibus aliter in agendo suescere interdum cogimur, ac aliàs soliti sumus; vel omittere cogimur, quod aliàs usitatum habuimus.* 2. Potentiæ *naturales congenerantur subjectis, & ab primo ortu originem ducunt. Sic potentiæ brutorum, hominum, plantarum. Sed virtutes non congenerantur nobis, sed usu & exercitio, interdum satis difficili & tædioso, acquiruntur, Vt experientiâ patet. Non nascimur temperantes, sed temperabiles.* V. d. 1. t. 22. Nec virtus est affectus. 1. quia *omnis affectus, quà talis, est indifferens ad bonum &*

*ma-*

*malum morale, ut amor, odium, ira, lætitia, tristitia, spes, metus, &c. Et* vel bonus *esse potest, si ad legitimum objectum ordinato modo & fine tendat*, vel malus, *si ad opposita. Sed virtus moralis ad bonum morale est determinata, & ab illâ præcisè boni & honesti denominamur.* 2. Quia *omnis affectus ortum â naturâ trahit, & congeneratur subjecto. Sed virtus moralis exercitio acquiritur, non naturâ congeneratur.* 3. Affectus *est motus sæpè sine proæresi & consilio excitatus, ut cum subitò & præter spem ex perceptione objecti alicujus ingruit. Sed virtus cum electione & consilio in subjecto succedit.* Positivè *probatur, habitum legimum genus virtutis esse è Canone Logicorum: Cui competit definitio, Ei & definitũ. Sed virtuti competit definitio habitus, qualitas firmè radicata, facilitans subjectum ad operandum. Hoc enim virtus facit in illo, in quo ex habitu radicatur, ut antea patuit. E. & definitum, habitus, legitimè illi, ut genus competit.*

6. *Dicitur porrò*, habitus voluntatis, *qui nempe in voluntate proximè subjectatur, & voluntatis propria est perfectio. Vt excludantur* partim *habitus corporis ita dicti, quia corpus perficiunt, ut sanitas, pulcritudo, saltatoria, &c.* partim *animi quidem, sed intellectus, qui proximè intellectum, ut potentiam suam perficiunt, ut habitus intellectuales, ut sapientia, scientia, ars, prudentia, &c. Virtus proximè non intellectum perficit, sed voluntatem: namq; assvefacit ad actus moderatos, & ad prudentiam conformatos edendos.* Habitus acquisitus, *ut distingvatur* partim *ab infusis, qui extrinsecùs per divinam operationem subjectis infunduntur, quomodo habitus lingvarum Apostolis infundebantur, & pijs fides, spes, caritas Christiana divinitùs infunduntur: ut virius moralis habitus per actus proprios & frequentatos comparatus intelligatur:* Tale enim principium propriè est morale: *Cætera*

*ra principia non sunt moralia: sed vel naturalia, vel eminentia, vel violenta, adeoq́ etiam actum & habitum moralem propriè dictum non faciunt.* V. d. 2. t. 7. partim *à connatis, qualis habitus fuisset imago Dei in statu integritatis, hodiè est peccatum originis in statu vitiositatis, quod tamen ut & omne vitium analogicè habitus dicitur, non rigidè.* V. t. 20. *Item habitus notitiarum naturalium homini connatus, quem habitum quidam censent esse.* V. D. Meisner. l. 3. de leg. c. 1. Habitus electivus *sive proæreticus, qui ex proposito judicio & consilio proficiscitur, adeoq́ in potestate nostrâ est, ut eum comparemus aut omittamus. Quid electio sit, ex* d. 2. t. 10. *patebit. Dicitur virtus habitus electivus,* & *ratione originis, quia ex actibus spontè electis & usurpatis oritur habitus moralis:* & *ratione subjecti, quia in facultate appetitivâ eligente subjectatur, ut voluntate, cujus propria & immediata operatio est electio voluntaria, & quæ imperat cæteris facultatibus liberè hanc vel illam operationem virtuosam: ut distingvatur ab habitu intellectuali, qui in facultate cognoscente radicatur:* & *ratione modi agendi, quia liberè & ex consilio agit virtus, & constanter: non casu, temerè, leviter, semel, obiter. &c. Vnde distingvi solet inter* justa agere & justè agere, *& actiones virtuosas non nominibus, sed adverbijs æstimandas esse dici solet.* V. d. 2. t. 14. Justa *agit, qui conformia ad rectam rationem agit, licet vel semel, vel casu & temerè, vel ignoranter, vel alterius impulsu agat. Sic Cambyses injustum judicem excorians justum quid egit.* Justè *agit, qui & constanter, & destinato consilio, & ex præsupposito habitu illa agit. Eodem modo inter mala agere, & malè agere distingvi potest, cum & vitium morale sit habitus voluntatis acquisitus electivus: Et oppositorum eadem in generali ratione sit ratio. Vnde, si quis temerè, aut ignoranter, aut semel mala agit, non dicitur*

*citur rigidè moraliter malus, quia non consilio, constanter, scienter, volenterq; ea agit.* Quidam *virtutes à naturâ & temperamento esse dixerunt, ut Galenus,* V. d. 2. t. 12. Alii *scientias & prudentias eas dixerunt, & neminem nisi ignorantem peccare putârunt, ut Socrates* ap Aristot: 6. Nicom. c. 13. & 1. Eudem. c. 5. De quo c. l. t. 17. Alij *inter Veteres animũ & animalia illas dixerunt, de quibus* Senecam *videas* ep. 113. Quidam *per propositum definiunt.* Sculret. l. 1. Eth. c. 3. *Sed propositum magis actus est, virtus a. habitus: magis ad rationem pertinet, virtus ad voluntatem: & magis efficiens virtutis est constans propositum rectè vivendi, quàm genus. Conf.* Timpler. l. 1. Eth. c. 2. q. 5. Quidam *per bonum usum affectuum, ut* Lactantius l. 6. inst. c. 16. Alij *aliter definierunt, de quo* D. Meisnerus d. sum. bo. coron. q. 5. & Danæus l. 1. Eth. Chr. c. 20. *videri possunt. Omnia falsò, ut per discursum ulteriùs dici poterit.*

7. *Ita* genus *Virtutis fuit:* Ex differentiâ *dicitur*, mediocritatem in actibus secundum rectam rationem ex judicio prudentis determinatam servare docens. *Hoc partim â* forma *virtutis, partim* â normâ *& dirigente sumitur. Forma consistit in mediocritate servandâ. Mediocritas ut intelligatur, quid sit, observetur de eâ* nomen, definitio, probatio, quod rectè virtutis forma dicatur, & variatio, *quotuplex esse posit.* Nomen *mediocritatis â mediocri & medio est, quod interdum notat requisitum aliquod ad finem obtinendum conducens, quomodo virtus medium felicitatis civilis est: interdum aliquid inter extrema mediè se habens, Ut hic sumitur. Ita medium* vel *est participationis, quod de utroq; extremo participat, ex eoq; exurgit, ut tepor ex calore & frigore, viror ex albo & opaco: Tale medium virtus non est, non enim ex extremis, vitijs, componitur, esset n.*

*monstrosa virtus, quæ ex vitijs componeretur:* Vel *negationis & recessus, quod de extremis recedit, & nihil de illis participat. Hoc medium* vel est rei *& æquidistantiæ, cum medium æqualiter semper distat ab extremis, ut 9. inter 6. & 12. æqualiter distant: Centrum circuli ab omnibus circumferentijs æquè distat: dicitur etiam proportio Arithmetica: Tale medium virtutis per se & necessariò esse nequit, nam & vitia ita distare possunt sic 9. aurei æquè medij sunt inter 6. & 12. Si pauper eos singulis septimanis eroget, prodigus, si Rex, sordidus habebitur: Et quædam virtus non semper æquè, sed interdum magis aut minùs ab extremis distat. Sic magnificentia circa magnos sumptus versatur, adeoq; in re minus distat à prodigalitate, ac parsimonia. Sic liberalitas vicinior est prodigalitati, quàm avaritiæ: magnanimitas superbiæ, quàm pusillanimitati. Interdum aliqua virtus æqualiter distat ab extremis, ut* justitia comutativa: *sed per accidens id fit, quatenus medium rei cum rationis medio hic consentit:* vel *est medium* rationis *interpositionis, personæ, & prudentiæ, cùm medium distat secundum proportionem rationis, omnes circumstantias attendentis, & prudenter actum dirigentis. Dicitur vulgò proportio Geometrica: Vt cum habitâ ratione laborantium duci 400. aurei attribuuntur: Capitaneo 200. militi 100. servatur hic medium rationis & proportionis Geometricæ, & respicitur rerum similitudo pro circumstantiarum varietate, & omnibus cæteris paribus. Sic 1. ad 4. & 6. ad 24. proportionaliter se habent: nam ut 1. quater continetur in 4. sic 6. in 24. Ex hac proportione dividitur præda inter milites, ut gregarius miles, qui se ad ducem habet, ut 1. ad 4. ad Capitaneum ut 1. ad 2. nanciscatur 100. aureos, Capitaneus 200. Dux 400. & ita consequenter. Hoc medium virtutis est, ut c. 8. patebit.*

8. Definitio *hujus mediocritatis esse potest, quòd sit*

 me-

mediocritas moralis, circumſtantiarum & omnium requiſitorum conditionem attendens, ut obſervatis illis nihil necesſarii in actu deſit, nihil ſuperflui abundet. *Dicitur* moralis, *ut diſtingvatur à naturali, quomodo cor medium animalis, medulla medium arboris, meridies medius cardo cœli dicitur: & artificiali, quomodo centrum medium circuli dicitur.* Circumſtantiæ *ſunt externa actuum moralium adjacentia, bonos aut malos, magis minusve tales, facientia. De illis* V. d.2. t.14. Piccolomineus gr. 2. c.12. *decem illarum numerat. Vt, agens principale vel inſtrumentale, ſubjectum recipiens actionem, finis & intentio agentis, modus actionis & medium, effectus, & id quod agitur, Locus, Tempus & inchoationis & continuationis, & ſimilia.* Probatio *hujus medij, quòd in tali medio prudentiæ reverà conſiſtat virtutis forma, variè expediri poteſt. Medium eſſe virtutem patet* 1. Ab oppoſito virtutis. *Oppoſitum virtutis, exceſſus aut defectus, qui in omni vitio reperitur, eſt extremum quid à rectâ ratione devians, & turpitudinem involvens. E. virtus oppoſitè ſe habet, & ſic erit medium, rectæ rationi conveniens, & honeſtatem adjunctam habens.* 2. A ſimili. *Actio virtuoſa in medio conſiſtit, & ex eo bonitatem ſuam habet. Bonitas enim ejus eſt conformitas ad regulam rationis, quæ conformitas medium inter exceſſum & defectum reſpicit. Quale medium ipſa ſcriptura innuit.* Deut. 5. v.32. Prov. 4. v.27. Eſai. 30. v.21. Rom. 12. v.3. *E. & habitus virtuoſus in medio conſiſtit, qui eſt ipſa virtus. Vterq; enim bonus & honeſtus eſt.* 3. Ab exemplo *omnium virtutum in ſpecie. Omnis ſpecies virtutis ſervat medium actis inter extrema ſua, ut fortitudo, liberalitas, urbanitas, veracitas, temperantia, juſtitia. &c. E. & ipſa virtus in genere ſervat medium.* 4. A *teſtimonio Philoſophorum, ut Ariſtotelis,* 2. Nicom. c. 6. & 1. mag.

mag. mor. c. 4. *Plutarchi* l. d. virt. morali. *Accedit ex poëtis* Horatius l.1.ep.18. *Virtus est medium, vitiorum & utrinquè reductum.* Et l. 1. sat. 1. *Est inter Tanaim quiddam socerumq́ Viselli, Est modus in rebus sunt certi deniq́ fines, &c.* *Similia* l. 2. od. 10. *vide. Alius ap.* Alsted. in Eth. c. 3. §. 2. *Virtus est medium, medio tutissimus ibis: Occupat extremum scalies, extrema relinque. Huc referunt quidam proverbium: Dimidium plus toto. Vbi per totum intelligitur vitium, quod culpabile: per dimidium, medium, ut virtus, quæ laudabilis.* V. Alsted. c. l. Poetæ *idem fabulâ Phaëtontis adumbrârunt, Cui Phœbus medium commendat* ap. Ovidium 2. Metam. *Altiùs egressus cœlestia signa cremabis, Inferiùs terras,* medio tutissimus ibis. *Sic Dædalus Icaro mediam viam in prætervolando mari præscripsit, per quod virtutem notavit.* V. Baconum d. sap. Vet. c. 27. Medium rationis *& prudentiæ eam esse patet.* 1. Quia *non semper æquè distat à vitiis, sed ab uno minus interdum, quàm ab altero.* V. t. 7. 2. Quia *servat rationem circumstantiarum, ad quarum conditionem actionem componit. Sic cibus cæteris nimius, & à quo voraces & intemperantes dicti essent, Herculi, Miloni Crotoniatæ, Theagenis, aut athletæ alicui minimus esse potuit ob temperamenti naturalis validitatem, ut ab illo non voraces, sed temperantes hi dicti fuerint.* 3. Quia *multas rationes respicit in medio servando,* vel *extrema, excessum & defectum, ut inter illa medium statuat:* vel *affectus & perturbationes, ut illas ad mediocritatem redigat:* vel *circumstantias, ut illarum ratione decorum servet:* vel *proportionis competentiam, ut sic faciendum eligat, ut in justitia distributivâ.* v. t. 7.

9. *In* oppositum *tamen sentitur à diversis, sed diversimodè.* 1. Quidam *privationem extremorum pro formâ virtutis supponunt, ap.* D. Meisn. Coron. de sum. bo. q. 4.

*Sed privatio est negativum quid, virtutis esse est positivũ. Privativum autem nequit esse forma positivi. Nec in virtute vera est privatio, sed apparens tantùm.* V. D. Meisn. c. l. 2. Alii *in totum negant, virtutis formam in medio consistere, sed æquè extremam perfectionem illam esse contendunt, sicut vitium sit extrema imperfectio: Et omninò medium accidentaliter se ad virtutem habere. Ita* Valla l. 1. dial. c. 10. Vallesius d. sac. Philos. c. 75. Grotius prolegom. d. jure pa. & bel. Tempellus ap. Velstenium dec. 3. qu. Eth. q. 4. Scultetus l. 1. Eth. c. 3. Lactantius l. 6. instit: c. 16. Vives l. 6. d. caus. corr. artium. *Vbi meritò à Vallâ reprehensum esse Aristotelem in mediocritate virtutis esse docet, aliiq́. Ac habent hic quædam, quæ obducant, quæ, ne velut plaustra oppositionum terreant, ex parte strictìm libemus.* Dices 1. Nulla *negatio potest esse forma positvi habitus. Mediocritas est negatio excessus vel defectus. Ergò nequit esse forma virtutis. R. nulla negatio mera, vera, & pura potest esse forma, benè apparens, & non mera. Medioritas est negatio ratione extremorum: Sed ratione proprii formalis est* perfectio inter extrema consistens, rationi rectæ, velut mensuræ, exactissimè respondens. *Ita est perfecta positio completionis alicujus, non mera negatio. Sic in Adamo integro fuerunt virtutes, mediocritates quædam ad congruentiam rectæ rationis formatæ, etsi extrema in illo, & sic negationes, locum non habuerint. In vitâ æternâ manebunt virtutes, mediocritates rectæ rationi conformes, etsi extrema non erunt, quorum negationes sint. Quædam negativè enuntiantur* voce & sono, reverâ *sunt affirmativa & positiva* significato & sensu, *ut infinitum, irrationale, independens, indifferen pro libero, incorporeum pro Spiritu &c. Sic & medium negativum esse dicitur, ut tamen veram perfectionem positivam involvat. Et interdum nega-*

*ta me-*

*ta meliùs rem declarant, quàm affirmata nuda; quæ sub negatis interdum delitescunt, ut unitatis definitio docet.* V. Scalig. ex. 65. s. 5. 2. Virtus *ex sui naturâ potiùs est excellens & summum quid, non medium, unde Pythagoræ* ἀκρότης *& extremitas dicta: & quò eminentior & excelsior est, eò laudabilior. Sic virtus heroica, divina, magnanimitas, magnificentia, &c. E. nequit forma ejus poni in medio. R. Virtus potest esse excellens ratione objecti, gradus, & adjunctæ bonitatis, honestatis ac perfectionis; ita rectè extremitas dicta: ut tamen non sit excedens, sed media, ratione servatæ proportionis. Quâ cavet ne quid in actu ejus desit, ne quid excedat. Est extremum ratione bonitatis, quâ malitiæ opponitur extremè, ad eamq; extremè se habet: medium ratione formalis rationis, quia inter extrema medio loco incedit, nec flectendo, nec deflectendo. Sic magnanimitas est extremum ratione objecti & magnitudinis: medium ratione modi agendi â rectâ ratione præscripti.* 3. Virtus *non componitur ex vitijs, ut extremis, aliàs & ipsa vitiosa, & sic monstrum foret. E. malè medium vitiorum dicitur. R. Virtus est medium non compositionis, sed negationis, ab utroq; recedens, non de utroq; participans aut conveniens*, v. t. 7. *Vitiorumq; & utrinq; reductum, canit* Horatius, v. t. 8.

10. 4. Artis *summa laus est, si ad summum fastigium & perfectionem opus deducat, non in medio subsistat. Sed virtus imitatur artem, ut ratione suâ ostendit* Aristot. *Ni*com. c. 6. *E. & virtutis summus apex in summo quærendus, non medio. R. Vt ars est summum ratione perfectionis & præstantiæ, ut tamen servet medium ratione conformitatis ad præcepta, & lineamentorum ducturam: Sic virtus est summum ratione bonitatis & præstantiæ, ut tamen servet medium ratione conformitatis ad rectam rationem omnes cir-*

*cumſtantias probè ponderantem.* 5. Nulla *virtus ideò virtus eſt, quòd in medio conſiſtat, ſed quòd eo modo in medio conſiſtat, quo ejus norma præſcribit. Ita mediocritas potiùs locum ſubjectæ materiæ, quàm formæ habet, & forma potiùs in conformitate ad normam conſiſtit. R. Ideò virtus non abſolutè dicitur ex differentiâ medium ſervare, ſed medium* ſecundum rectam rationem ſervare. v. t. 7. 8. *ubi recta ratio eſt norma & dirigens formæ virtutis, non præcisè ipſa forma, ut* th. 14. *dicetur.* 6. Quædam *virtutes modum non ſervant, ſed habent modum ſine modo, & laudantur tamen. Sic amor Dei laudatur, quòd ſit maximè ardens, non, quòd ſit nimius. Nec ſuperſtitio peccat, quòd nimiùm colat Deum, ſed quòd perverſè. Aliæ non habent duo vitia, quibus opponantur ... inter illa medium ... ervent, ſed unum tantùm, ut juſtiti... injuſtitiam. Sic iram Dei, dedecus, infamiam metuere ... mare Deum, habent defectum tantùm, nullum exceſſum. Nec enim exceſſivè ira Dei & infamia metui poſſunt, a... Deus amari. Sic virginitas eſt evulſio concupiſce...æ, non moderatio: & defectum habet, non exceſſum. ...beralitas in communicandis officijs & amicitiâ modum ...n ſervat. Veracitas defectum habet, non exceſſum, Ne... ...im nimiùm veri eſſe poſſumus. Quædam vitia ad medi... ...a redigi nequeunt, ut odium, petulantia, livor, ſuperbia ...iorum ratione virtus non poteſt dici medium. R. Enum... ...ata multa non ſunt virtutes morales, ſed vel affectus the...ogici, ut amor Dei, metus iræ Dei: vel phyſici, ut metus: ...n mirum, ſi in illis medium urgeri non debeat. Quædam* re & ſenſu *habent duo vitia, etſi ſono non ſemper ſint uſitata. Sic juſtitia nimiam rigiditatem & nimiam impunitatem, ut extrema ſua, cavet. Amor Dei inter exceſſum, qui ſuperſtitio, qua nimiùm colit ratione modi & qualitatis, non numeri & quantitatis: Nimium a. tàm in qualitate quàm quantitate in*

*vitio*

vitio esse potest: Sic incivilis est, qui nimis ferventer vorat, etsi non multa absumat: & defectum, qui impietas, est medius. Virginitas inter libidinem & ἀναισθησίαν sive insensualitatem & stupiditatem: debet enim motus inhibere, non eradicare. Sic iram Dei, infamiam metuere, potest nimio modo fieri, & sic & excessum & defectum habet, etsi excessus speciali nomine non appelletur. Liberalitas servat modum rationis, attendens, quid, quantum, & quale officium cuiq; dandum, ne quibusvis, etiam indignis, detur quidvis. Veracitatis excessus est mendacium augendo propositū, cùm augetur plus, quàm verum: defectus minuendo, cum minus, quàm verum, profertur. Omnia ista μεσότης sunt. etsi non μετριότης. Conf. th. 22. Medium est virtus, quia affectus moderari & ad medium revocare debet: vel etiam in circumstantiis, affectibus, similitudine proportionum modum observare, etsi præcisè utrumq; oppositorum nominari non detur. v. t. 7. Virtus non redigit vitia ad medium, hoc enim impossibile, cum vitium semper extremum sit: Sed seruat medium inter vitia, tanquam extrema. Sic inter superbiam & nimiam abjectionem, odium & nimis vagum amorem, mediè incedit. Affectus propriè ad medium revocat: inter vitia medium servat. 7. Si virtutis forma mediocritas, ergò virtus orietur ex medio. Forma enim dat esse rei. At oritur ex crebris actionibus. t. 15. Ergò non medium est ejus forma. R. forma dat esse, sed formaliter, non efficienter. Et sic formaliter habet esse virtus à medio affectus & extremorum. i. e. formaliter in habitu tale medium servante consistit: Actiones dant esse, sed ut efficientes proximæ. Ex his ortum ducit virtus: in medio formaliter consistit. 8. Nulla disciplina debet in mediocritate consistere, sed ad summum perfectionis gradum tendere. E. nec in Ethicis virtus ut mediocritas proponenda. R. Non debet in mediocri-
tate

tate consistere sc. velut in ultimâ perfectione & fastigio: benè tamen, ut in essentiâ cujusdam rei, ne illa excedat â legibus artis. Et sic virtus in Ethicis docetur esse medium. 9. Si virtus est medium affectuum, E. affectus erit ejus genus, medium enim cum extremis est ejusdem generis. At est habitus, non affectus. R. Medium participationis est ejusdem generis cum extremis: non negationis & recessus, quale virtus est. t. 7. Correctionis ac revocationis, quomodo omnis norma corrigit errata, habitus potentias, Nec necessariò sub eodem cum illis genere proximo. De genere remoto concedi potest. Sic virtus est qualitas. Affectus etiam sunt qualitates. Sed proximis generib. differunt. Virtutes sunt habitus, affectus passiones. 10. Medium virtutis formam dicere diversas virtutes in unum confundere facit, ut liberalitatem & parsimoniam, quod fecit Aristot. 4. Nicom: c. 2. & veritati non ex æquo respondentia assignat, ut jactantiam & dissimulationem, quod idem fecit c. 1. c. 13. & quædam pro vitio habet, quæ vitia non sunt, ut voluptates & honorem contemnere, irâ contra homines prorsus carere, ut idem agit c. 1 . . 11. & l. 2. Eudem: c. 3. Ergò malè in eo forma virtutis collocatur. R. Nihil horum ex mediocritate virtutis, ut sic oritur, quicquid sit de mente Aristotelis. Parsimonia vel ad liberalitatem, ut cognatum ejus pertinet, quorsum quidam referunt: nam ut liberalis in sumptibus erogandis versatur: ita parcus in custodiendis, sufficiens in appetendis & acquirendis: Vnde liberalis officium erit & moderatè appetere, & prudenter servare, & mediocriter erogare opes: Vel si peculiaris virtus est, negatur, confundi ex medio cum liberalitate. Nam liberalis in erogando sumptu medium servat, parcus in accipiendo & custodiendo. Jactantia & injusta dissimulatio æquè veritatem oppugnant: sed illa per excessum, plus quàm verum est, dicendo: hæc per defectum, & minus

quàm

*quàm verum, ostendendo. Voluptates & honores indecorè respuere, ubi recta ratio accipiendas dictaret, omninò vitiosum: & non irasci, ubi, ob quæ, quando, in quos, quomodo, deceret, profectò stolidi & insensati esse videmur, rectè Aristoteles* 4. Nicom: c. 11. *Plura in discursu solvenda.*

11. 3. Alii *mediocritatem in virtute agnoscunt, sed negant esse formam, sed proprietatem formam consequentem dicunt. Formam esse* ὀρθότητα *&* εὐνομίαν, *non* μεσότητα: *rectitudinem rationis legi consentaneam, honestatem & bonitatem, non mediocritatem inter extremorum deformitatem, quæ ex rectitudine ut proprietas consequatur. Ita ex antiquioribus* Scotus in 1. sent. d. 17. q. 2. *Ex Neotericis* D. Meisnerus p. 1. P. S. s. 2. c. 2. q. 2. *& in* coron. d. sum. bon. q. 4. & 5. Chri. Matthias l. 3. Eth. p. 3. ex. 1. Scultetus l. 1. Eth. c. 3. Scaliger ex 307. s. 3. Quidam *sententiam hanc novam ajunt, ut* Reinbothus dis. 4. d. præd. person: t. 57. *Sed ex Scoto apparet, jam tùm ei simile quid sensum esse.* Quidam *id ita explicant, ut per rectitudinem intelligant conformitatem ad rectam rationem, in quâ forma virtutis posita sit. Vt* Amesius l. 2. med. Theol. c. 2. §. 35. 36. 37. *Vel congruentiam vitæ ad legem, Vt* Scultetus c. l. Alii *tamen id negant, ut* D. Meisner. c. l. d. su. bo. q. 4. *Quòd omnis congruentia & conformitas formaliter sumpta sit relatio, notet enim commensurationem inter normam & normatum, mensuram & mensuratum: Virtutis a. esse sit absolutum: relativum autem nequeat esse forma entis absoluti, quia prædicamentis differrent constituens & constitutum. Et conformitas, ut relativum, prærequirat mediocritatem, ut absolutum, â quâ dependeat, & id quam respiciat. Quòd autem* ὀρθότης *forma virtutis sit, non* μεσότης, *probant.* 1. Quia *forma, ut principium, prior sit formato, ut principiato. Mediocritas autem virtutem*

 *natu-*

*naturâ non præcedat, sed sequatur, non enim ideò virtus est, quia medium servat, sed quia virtus est, ideò medium tenet.* 2. Quòd *medium non sufficienter explanet esse virtutis, cùm tantùm recessum ab extremis dicat. Sed ultrà quæri, quare omnis habitus in medio sit virtus? Et responderi, Quia internam rectitudinem habeat, quam conformitas cum lege & rectâ ratione declaret. In hoc ut ultimo sisti intellectum.* 3. Quòd *mediocritas aut formaliter sit extremorum negatio: aut si ens sit, relativum, non absolutum sit. Neutrum a. possit esse forma virtutis, quæ ens positivum & absolutum est.* 4. Quòd *virtutes Christianæ primò bonæ sint, non quòd in medio, sed quòd rectitudinem legi divinæ consentientem habeant. Idem de virtutibus Ethicis sentiendum, cùm sint similes.* 5. Quòd *oppositi virtutis, vitii, forma non sit extremitas, nec per hanc satis natura vitii cognoscatur, sed* ἀνομία, 1. Joh: 3. *pravitas legi dissentiens. E. ex opposito virtuti forma sit* ἐννομία, *vel bonitas legi consentiens, cùm oppositorum opposita sint attributa.* 6. Quòd *mediocritas directè de virtute enuntietur, forma a. indirectè de formato dicatur. Ut homo est rationalis, non rationalitas.*

12. *Circa hanc sententiam nota* 1. In *duobus hic est cum priore consensus.* 1. Quòd *omnis virtus medium observet inter vitia velut extrema, & sic verè mediocritatem quandam habeat.* 2. Quòd *etiam rectitudinem & honestatem habeat, ut vitium malignitatem & turpitudinem. Unde* μεσότης *virtutis secundum rectam rationem se habet, id est, rectitudinem quandam rationis requirit,* 6. Nicom. c. 1. & 5. *Id tantùm quæritur, an mediocritas potiùs se ut forma in virtute habeat, an rectitudo rationis? Sic potius de modo rei, quam re ipsâ est quæsitio.* 2. *Accuratè loquendo potiùs mediocritas pro formâ virtutis assignanda, rectitudo rationis pro normâ,*

ad

*ad quam mediocritas formanda. Mediocritas enim largitur* & *esse virtutis*, & *distingui*, & *operari.* Esse, *quia observando actum aliquem, an virtuosus sit, nec ne, statim attenditur, an medium prudentis rationis servet, an secus? Si servet, virtutis actus dicitur: si non servet, sed recedat ab eo, statim vitium dicitur.* Distingui, *quia per hanc & ab omni vitio distinguitur: & ab affectu virtutis speciem habente, ut confidentia speciem fortitudinis habet, distinguitur autem ab eâ, quia non exactè medium servat, sed ad excessum audaciæ declinat.* Operari, *nam actus bonus, ut finem & modum agendi rectè observet, medium à ratione præscriptum observet oportet, & mediocritate observatâ actus boni habent, quòd sint boni. Rectitudo rationis propriè est norma, ad quam mediocritas conformatur. Sic cur actus est virtuosus? quia medium convenientiæ servat. Cur per tale medium fit virtuosus? Quia* recta ratio & prudentia dictant, illud præcisè inter extrema servandum esse, *& si ad illa deflectatur, vitiosum actum esse. Hic rectitudo potius dirigens & norma est, quàm forma virtutis. Assistens forma virtutis rectitudo dici potest, non informans. Conf.* t. 14. *Ad* oppositâ *facilis est responsio.* 1. Mediocritas *rectæ rationis verè est prius quid, secundum nos ipsâ virtute, per quam hæc in esse suo constituitur. Ideò actus virtuosus est, quia ad medium justæ rationis compositus est.* 2. Hoc *etiam sufficienter satiat intellectum, etsi rectitudo & recta ratio excludi nequeant, sed in totali mediocritatis conceptu & definitione involvantur. Ideò dicitur medium morale & rationis.* t. 8. 3. Mediocritas *nec mera negatio est.* v. t. 9. *nec ens respectivum, est enim intima quadam perfectio virtutis ex ratione constituta. Et sic absolutum quid, in eadem cum virtute Categoriâ, etsi respectus aliquis ad rectam rationem adjacere possit, sed qui transcendentalis est, non prædicamentalis, adeoq;*

*ens verè relativū non facit. Sic virtutes leges respicere possunt, ut normas, manent tamē entia absoluta.* 4. Virtutes *Christianæ bonæ sunt, quòd mediocritatem â lege divinâ præscriptam servent,* V. t. 8. *in quâ fundatur earum honestas, bonitas, dignitas, & præstantia Christiana, ut Deo sint placentes. Sic Ethicæ bonæ, quòd mediocritatem rationis servent, per quam rectitudinem, bonitatem, & præstantiam moralem obtinent.* 5. Esse *vitiorum est extremitas, quæ per lapsum â normâ describitur, & dicitur illegalitas.* 1. Joh. 3. *In his quæ lege nituntur, lapsus â lege mentione legis describere usitatum, etsi verè considerando ipsa illegalitas & inhonestas in extremitate deflectente consistat.* 6. Virtus *dicitur mediocritas impropriè, cum paronymicè dicendum, est aliquid mediocritatem servans, vel in mediocritate consistens. Sic leo est rugibilis, non rugibilitas, Homo animatus, non anima. Plura in discursu.*

13. Variatio *mediocritatis moralis est, quòd vel sit* una *formaliter & quà essentiam, medium nempe justæ rationis â prudente determinatum, hoc enim velut unus scopus est, ad quem omnia delineanda, cum modi aberrandi varii esse queant; Et in hoc, velut firmo & invariabili esse habitus virtutis moralis constanter consistit: vel* varia *accidentaliter & quà existentiam, quia modus agendi in habitu virtutis sæpè variatur secundum diversitates hominum & circumstantiarum, unde copia cibi pro hoc potest esse nimia, ut inde intemperans dicatur, pro illo moderata, ut temperans inde dicatur.* V. t. 8.

14. *Satis de mediocritate dictum: Vltimò in definitione dicitur,* quòd mediocritatem secundum rectam rationem ex judicio prudentis determinatam servet. *Hæc verba dirigente & velut formâ externâ & assistente sumuntur, quæ hîc recta ratio & prudentia. Mediocritas hic non rei, sed*

rationis

*rationis innuitur.* V. t. 7. 8. *Quam voluntas per se servare nequit, ut quæ in magnâ circumstantiarum varietate ignorat, quid, quale, & quomodo sit eligendum, nisi â ratione prudenter id præscribatur. Hic recta ratio & prudentia est virtutibus omnibus assistens, & in observatione circumstantiarum, loci, temporis, personarum &c. dirigens. Unde* Aristot. *addit,* prout vir prudens eam definierit. *Recta ratio & Prudentia imperans, præscribens, dirigens, moderans est: Virtutes cæteræ obœdientes, directæ, parentes, exequentes sunt politicè & analogicè, non heriliter aut serviliter. Norma præscriptionis est velut finis & intentio actionis, secundum quam media â prudentiâ diriguntur. Finis enim mediis ordinem, mensuram, & appetitum conciliat.* Quidam *negant talem dirigentem in virtute, quòd nec tales prudentes usquam sint, quorum judicio semper stari possit: nec si sint, dignosci semper aut consuli possint ab agentibus virtutem: & sæpè inter se dissentiant, sæpè vitium pro virtute apprehendant. Nec recta ratio usquam detur, nisi in scripturâ: notitiæ naturales sint obscuræ, imperfectæ, cæcæ, â DEO aversæ, & per lapsum corruptissimæ, adeoq; virtutem accuratè informare tanquam normæ, non possint. Unde legem Dei pro normâ virtutum constituunt.* Amesius l. 2. med. c. 2. §. 14. 15. Walæus p. 91. 92. Eth. D. Meisn. c. l. q. 5. Danæus l. 1. Et: Chr. c. 20. *De his quid habendum, ex parte ex* d. 1. t. 28. *patet. Hic breviter observa* 1. In Ethicis *non definitur, quid detur, sed quid dari possit & debeat. Ideas præscribit Ethica, non subjecta. Sic summam felicitatem moralem in perfecto exercitio omnium virtutum locat, etiamsi tale in nullo subjecto daretur. Posito, nullum talem prudentem dari, non sequitur, ratione talis judicii non describendam virtutem.* 2. Dantur *prudentes, si non ab agentibus virtutem diversi, saltem in ipsis agentibus, quibus*

*mens propria prudenter dictabit, quid agendum, quid omittendum. Et si non omnibus numeris hoc dictamen est perfectũ, sufficit, si in tantũ sit, quando nequit esse in totum. Ita & virtus erit pro ratione hujus vitæ.* 3. Datur *recta ratio & in scripturâ, quatenus per hanc est rectificata, & superiori lumine illustrata: & extra eam, quà fundamenta notitiæ practicæ in mente hominis adhuc resident, ex quibus mores extruuntur, non ut sunt coeca, obscura, imperfecta, falsa, sed quà adhuc vera, suo modo graduq́ clara, perfecta. Gradus sunt claritatis & perfectionis, non in omnibus æqualis ratio. Notitiæ naturales sunt claræ in foro civili & naturæ, miseræ in Spirituali & gratiæ ac gloriæ. Et Phil: practica extruitur ex principiis naturalibus, non ut defectuosis, sed ut luminosis.* V. Cor. Gym. Log. t. 27. *Errores horum aut illorum Philosophorum non sunt imputandæ notitiis per se veris, aut disciplinis inde extructis. Nec sunt ipsa præcisè disciplinarum præcepta, sed eorum corruptiones & accidentia.* 4. Verbum *Dei norma virtutum est eminens & perficiens, ut Christianæ Deoq́ placentes fiant: Lex naturæ & notitiæ practicæ adæquata norma virtutum, ut morales & Ethicæ absolutè sunt. Hæ faciunt moratum & honestum civiliter: Illæ etiam Christianum & Deo gratum spiritualiter. Virtutes Ethicæ, ut sic, â Christiano & gentili abstrahunt, & in absolutâ honestate morali indifferenter spectantur. Qualecunq́ subjectum sit, in quo sunt, s. Christianus, s. gentilis. Liber conscientiæ est adæquata norma Phil. practicæ, ut liber naturæ Theoreticæ, & liber scripturæ utriusq́ norma eminens & excellens est. Plura in discursu.*

15. *Fuit* definitio *virtutis: Sequuntur* Causæ. *Hæ* vel *efficientes, quæ prima Deus, â quo omne bonum.* Jac. 1. v. 17. *Unde* Seneca ep. 41. Bonus vir sine Deo nemo est. *Secunda,* vel *remota, ut natura, vel animi, in quo intellectus practi-*

*cus, notitiis naturalibus congenitis, non quà actum, speciem, formalitatem, sed quà vim, efficaciam agnoscendi, & criticam facultatem, instructus, ut alibi disputatur, deliberans, monens, ostendens: & voluntas eligens, & exequens: vel corporis, in quo bona indoles, temperamentum, unde semina virtutum quibusdam à naturâ connascuntur, quæ fota & suscitata eximios fructus protrudere possunt: Conf.* Senec.ep.95. *& qui horrid. temperamēto præditi, etiam plerumq; horridis moribus sunt, quomodo natura quidā servi nascuntur.* Arist.1.Pol. c.3. *Conf.* d.2.t.12. Vel *propinqua, ut cura, institutio per præcepta, exempla, præmiorum & pœnarū assignationem:* Vel *proxima, ut actio humana moralis bona, præcedens habitū, valida & continuata, mediocritati studens, quæ est causa proxima habitus virtuosi in subjecto.* Conf.d.2.t.3. Vel *formales, quæ propriè hic nullæ: cum, ut accidens, per se ipsa forma sit: Analogicè mediocritas forma virtutis interna dicitur* t.8.12. *recta ratio ac prudentia externa & assistens*.t.14. Vel *finales, ut Dei gloria & honestas bonitasq; moralis propria, ut boni & simus & denominemur:* Vel *materiales, quæ hic propriè etiam nullæ. Per analogiam materia virtutis* subjectum *dicitur, in quo virtus collocatur, & objectum, circa quod occupatur.*

16. Subjectum *virtutis est* vel inhæsionis, *cui virtus moralis inhæret,* vel occupationis, *circa quod regendum virtus occupatur.* Inhæsionis est vel ultimum *& denominationis, quod à virtute virtuosum & honestum denominatur, estq; totum compositum sive homo utriusq; sexus,* & *masculini, qui principale virtutis subjectum, ob majorem animi sagacitatem & constantiam, ac caloris copiam, & membrorum promptitudinem est. Unde Poëta:* fortius ingenium suspicor esse Viris: & *fœminini, qui secundum subjectum est, in quo virtutum exempla interdum luxerunt, quæ apud* Lipsium 2.Polit. c.3. Apolephtem p.2. erquickst p.199. seq. Heiderum

c.2.

c. 2. Polit. p. 146. Plutarchum. d. virt. mul. Bocatium & Joh. Jacobum Bergomensem de claris mulierib. *aliosq́ videas:* vel intermedium *& informationis, quod est facultas aliqua hominis per se & directè à virtute, ut adjuncto suo, informanda. Hoc est* & principale, quod est voluntas, *quæ tanquam proximū principiū movendi & rectè agendi virtute, tanquam habitu morali, principaliter perficitur: Hæc enim maximè est libera, proæretica, indifferens ad benè maleq́ agendum, eoq́ aptissimè ab habitu superveniente determinari potest, & sic in illâ ponitur finis, quod per rationem ad bonum determinari possit, unde & media in illâ ponenda, quæ sunt virtutes:* Et secundariū, *quod secundariò virtute perficitur, quatenus voluntatis imperio obædit.* Hoc est appetitus sensitivus, *quatenus rationale participat, & imperio rationis subesse potest. Sic enim & hic producit rectam actionem, ut temperantiam, fortitudinem, quæ non nisi à virtutis habitu esse potest. Et sic, quia effectus capax est, & causæ capacem esse oportet. Ita virtus inæqualiter est & in appetitu intellectivo, primò & directè: & sensitivo secundò & consequenter, quà eò velut per diffusionem extenditur, ut & eandem materiam, & idem nomen retineat. Sic prudentia est in intellectu, secundò tamen & ad voluntatem extenditur, quà norma & dirigens ejus in servando medio est.* Objectum *virtutis sive subjectum occupationis, circa quod regendum illa occupatur, est partim* internum, *ut affectus humani, qui sunt naturales animi motus per se à bono aut malo morali indifferentes, per virtutes, ceu funes & nervos ad medium, & sic bonum morale revocantur: Eos fabulâ* Bacchi *veteres mythologicè notârunt, Vt pulcrè ostendit* Baconus d. sap. Veter: c. 24. *& affectuum comites, voluptas & dolor, ut & in his medium servetur:* partim externum, *quod objecta virtutum sunt, circa*

*quæ*

*quæ illæ versantur, ut circa terribilia fortitudo, opes liberalitas, sermonem veracitas & urbanitas, honorem modestia, &c. Hæc quia â virtutibus etiam reguntur, & ad medium revocantur, rectè inter subjecta occupationis virtutis recensentur. Et rectè* Epictetus serm: 1. sent: 77. *Si bonus esse volueris, primùm credito, te malum esse.* Castigato affectus, ne ipsis dês pœnas.

17. *Ita* Causæ, subjecta, & objecta *virtutis visa: sequuntur divisiones.* 1. Virtus est vel intellectualis, vel moralis. Intellectualis *est habitus intellectum perficiens, in veri enunciatione. Hæc directâ tractatione ad finem Ethices non pertinet, nec est virtus moralis, non enim principaliter ad bonum morale ordinatur, sed ad verum enunciandum. Referenda autem est vel ad metaphysicam de qualitate, vel hexilogiam de habituum naturâ:* Indirectè *hic tractari potest, quà recta ratio est norma & dirigens virtutum moralium, Et sine quâ nulla virtus propriè dicta unquam reperiatur. Adducitur hic, ut amplitudo vocis virtutis in significatis suis eò pleniùs patescat. Extenditur enim & ad intellectuales habitus,* V. t. 2. *Prudentia tamen hic specialiter etiam tractari potest, quia præcipuum proximumq́ dirigens virtutum moralium est, & certo modo ipsa moralis virtus dici potest.* Moralis *virtus est habitus appetitum perficiens in boni moralis electione & operatione. De hac* t. 4. 5. *seq. actum.* 2. Virtus moralis est vel dirigens vel directa. Dirigens, *quæ proximè & immediatè omnes virtutes morales dirigit, ut medium & circumstantias prudenter observent, nec ad extrema deflectant. Estq́ prudentia. Vbi nota 1. Divisionem hanc esse* analogam, *& virtutes directas dici per prius & potiori modo morales, dirigentem per posterius & secundario modo. 2. Prudentiam* moralem *dici, quà versatur circa* τὰ πρακτὰ, *& ordinatur ad bo-*

*num. Tota n. in directione moru̅ occupatur: nec honestum attendit sub veri tantùm ratione, ut illud cognoscat, sed & sub boni, ut illud per virtutes moraliter agere faciat. Ita ratione* objecti, *circa quod versatur, & finis, quem intendit & introducit, honesti actionis, rectè moralis dicitur. Etsi in seipsâ morum non sit elicitiva, est tamen eorum directiva, ut* Lessius l. 1. de justit. & jur. c. 1. f. 2. *loquitur. Eadem* intellectualis *dicitur, quà in intellectu practico est. Extenditur tamen simùl ad voluntatem regendo illam.* v. t. 16. *& sic inter morales refertur. Est velut virtus mista, ad utramq́; facultatem pertinens, ut sentit* D. Meisn. p. 3. P. S. f. 1. c. 7. q. 1. §. 6. *Hæc facit, ut simus Promethei, non Epimethei: & præsentia cernamus, præterita repetamus, futura provideamus. Multa de illâ dicenda essent, quæ ob prolixitatem aliò amandanda. Quædam* ap. Keckerm. d. 2. Eth. Alsted. c. 5. Eth. Lessium c. l. c. 1. 2. *videas.* Directa *est, quæ secundum prudentiæ dictamen mores componit, & actus virtuosos exercet.* 3. Virtus directa est vel universalis, vel particularis. Universalis, *quæ obligat ad obœdientiam omniu̅ legum, & exercitium omnium virtutum, ut justitia universalis. De hac* d. 4. *agetur, ubi & de legibus simùl, quantum ad Ethicam opus, tractabitur.* Particularis *est, quæ occupatur circa particulare objectum. Hæc* vel *est primaria*, vel *secundaria.* Primaria, *quæ verè propriéque est habitus, & complementum est nacta. Hæc spectatur,* vel *in gradu usitato, quomodo communiter in homine reperitur, & virtus absolutè dicitur. Ita respicit* vel *ipsum possidentem, ut ipse honestus efficiatur, idq́;* vel *moderando voluptates corporis, ut temperantia: vel formidabilia, ut fortitudo, de quib.* d. 5. *tractabit:* Vel *alios â possidente, circa quos honestè se gerat. Idq́;* vel *in reb⁹ externis, Et* vel *in sumptibus, circa quos sufficientia, parsimonia, liberalitas, & magnificentia ver-*

*san-*

*santur:* vel *in honoribus, circa quos modestia & magnanimitas occupatur, de quib.* d.6. Vel *In cõversatione,* ubi est *regenda est familiaritas, circa quam versantur virtutes homiletica, ut humanitas, sub quâ continetur civilitas: Vrbanitas, veracitas, & cõcordia: de quib:* d.7. Aut *actio cum aliis; quomodo* vel *iracunda motio regenda, quod facit mansuetudo:* vel *distributio & cõmutatio rerum, ut illa justè administretur, quam moderatur justitia particularis, de quib.* d. 8. Vel *spectatur virtus primaria in gradu inusitato, quomodo singulariter in quibusdam reperitur, ubi cum addito Virtus heroica dicitur, de quâ* d. 9. Virtus secundaria *est, quæ potius dispositio & gradus ad virtutem est, nondum vera virtus, ut verecundia, misericordia, continentia, tolerantia, & obœdientia, de quibus etiam* d. 9. *agetur. Deniq; virtus spectatur, ut est in usu & fructu quorundam exercentium eam, qui usus dicitur* amicitia *de quâ* d. 10. *tractabit. Ita ad delineatam methodum universa Ethica per decadem hanc decurretur.*

18. 4. Ex gradib⁹ *virtus* vel *est ordinaria, quæ communiter in subjectis reperitur,* vel *extraordinaria, quæ singulariter in quibusdam eminet. Dicitur etiam virtus excellens, eminens, heroica. Quæritur hic, an virtus admittat gradus? de eo, ut & virtute heroicâ* d. 9. *agemus.* 5. Ex subjectis *virtus* vel *est Christiana, quæ in Christiano est,* vel *non Christiana, quæ in alio subjecto, quàm Christiano. Hæc* vel *gentilis, sub quo Turca comprehendi potest,* vel *Judæi esse potest. Quomodo differant virtutes Christianorum & gentilium quæritur? an specie, an gradu? & an gentilium, virtutes Deo placuerint? Posterius videtur probabilius, & formâ assistente differunt, quæ in Christiano fides, in gentili honestas moralis, non informante, quæ in utroq; mediocritas rectæ rationis fuit. Et placuerunt virtutes gentilium Deo generaliter & legali-*

*ter, non specialiter & Evangelicè: quia fide caruerunt, sine quâ Deo nihil specialiter placet.* Heb. 11. v. 6. *Plura aliàs de hoc. Ex subjectis virtus etiam viri* vel *fœminæ dici potest.* Viri, *quæ in sexu virili,* fœminæ, *quæ in fœmineo reperitur. In hoc virtutes interdum luxisse* th. 16. *dictum.*

18. *Ita &* divisiones *virtutis fuerunt: Sequuntur* affectiones, *Quæ sunt perfectiones & habitudines aliquæ naturam virtutis consequentes, & â posteriori explicantes. Possuntq;* vel *attributa* vel *effecta esse.* Attributa *sunt sinceritas, constantia, connexio, & difficultas.* Sinceritas *est, quâ virtus sine simulatione & hypocrisi expeditur. De hac dicitur, quòd virtuosus cor in linguâ gerat, nec aliud agat, aliud simulet. Ejus oppositum est dolus, simulatio & hypocrisis. Quæ prohibentur* Psal. 12. v. 3. 4. Psal. 54. v. 24. Prov. 11. v. 9. Matt. 6. v. 1. 2. c. 7. v. 4. 5. *De illâ dici solet:* Intus Nero, foris Cato. *Item pauperes sine defectu, religiosi sine affectu, devoti sine voto, liberales sine dono. Ejus hieroglyphicum est Bel apud Babylonios, extus as, intus lutum.* Constantia *est, quâ virtus in asperis ac prosperis perdurat, facitq;, ut â contrario non moveamur, & â nullo ê mediocritate demoveamur. De eâ* V. Horatium l. 3. od. 3. Ciceron. l. 1. offic. §. 25. Lipsium. l. 1. Const. c. 5. & l. 1. mon. Polit. c. 7. *Ubi exempla suppeditat. De hac dicitur:* Aut ne incipe, aut perfice. *Pleræq; res hoc ipso non benè fiunt, quòd non integrè fiunt. Virtutis est, evictis fastidijs inchoatum opus pertexere. Conf.* Drexel. l. 1. Tris. Chr. c. 5. & 7. *Ejus oppositum est vacillatio & inconstantia, quæ prohibetur* Ephes. 4. v. 14. Hebr. 13 v. 9. *De quâ dicitur: Proteo & Chamæleonte mutabilior. Ejus hieroglyphicum est cancer, ante & retrò gradiens.* Connexio *est, quâ virtutes inter se sunt junctæ, ut altera alteram juvet & promoveat. Non accipe connexionem ratione essentiæ, quasi una sit*

de

*de essentiâ alterius:* vel *causæ, quasi una necessariò pendeat ab alterâ, velut causâ procreante:* vel *ratione cujusvis subjecti, quasi in quocunq; subjecto omnes juncta essent: sed* partim *ratione primi authoris, Dei, & voluntatis moralis,* v. t. 15. *Vnde omnes proveniunt:* partim *ratione finis & intentionis, honestatis moralis, quam omnes introductam cupiunt:* partim *ratione auxiliaris operæ, quam mutuò sibi præstant, cum & una ad actum alterius disponit, & eandem confirmat ac tuetur:* partim *ratione subjecti perfecti & completi, ubi virtus in ideâ est, de quo valet illud: Virtus est una copulativa, i. e. ubi est una, ibi sunt omnes. In incompleto, ubi virtus imperfecta & in imagine est, una solitaria esse potest:* partim *ratione communium attributorum, quæ omnibus conveniunt: ut sinceritatis, constantiæ, honestatis, difficultatis. In specialibus attributis segregari possunt. De hac connexione dici solet: Natura naturam juvat, & natura naturam perficit: Virtus est una copulativa: Aut totum, aut nihil. Hieroglyphicum ejus est catena.* Difficultas *est, quà arduum & operosum est virtutis iter, & variis molestiis superandum. Vnde dicitur, Per aspera ad ardua. Nihil sine labore. Et* Virgilius: *Semita virtutis dextrum petit ardua collem, difficilemq; aditum primùm spectantibus offert.* Aristot. 2. Nicom. c. 9. *operosum ait, esse probum. Medium enim in unoquoq; capere arduum. Hieroglyphicum ejus est Helicon, Musarum & Apollinis in Boeothiâ sedes, mons arduus.* Amesius l. 2. medul. c. 2. t. 24. *quatuor cardinales virtutes, justitiam universalem, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam affectiones communes virtutis facit. Sed quædam harum principia dirigentia virtutis sunt, ut prudentia, & ex parte justitia universalis: quædam ipsæ virtutes sunt, ut temperantia & fortitudo, ut ipse non diffitetur* t. 34. *non consequentia quædam ex naturâ virtutis, quod affe-*

*ctionum proprium esse solet.* Effecta *virtutis sunt omnes actus virtuosi, â virtute velut habitu profecti: felicitas item civilis virtutem, ut consequens aliquod, sequens, & ab eâ productum: probitas etiam & honestas, quam subjectis conciliat, & quæ ab ipsâ proba & honesta dicuntur: laus, fama & gloria, quæ comitatur virtuosos, velut umbra corpus: Vnde* Poëta: *Quæ dea? virtutis sum filia, gloria: Qui grex? Illa petitores, improba turba, proci. de hac* V. Serarium. in c. 6. Jos. q. 60. Conf. Ciceron. or. pr. Archia. Camerar. C. 1. c. 4. C. 2. c. 56. Seneccam. ep. 79. *Dei assimilatio, quâ Deo similes per virtutem reddimur. Deus enim summè probus.* Conf. Senec. ep. 41. 92. 95. *Vnde ille rogatus, quid maximè Dijs assimilaret? multa scire respondit, & benè agere, &c.*

20. *Hactenus* absolutè *virtus considerata:* Respectivè *cum cognatis & oppositis spectetur.* Cognata *virtutis moralis sunt omnes virtutes intellectuales de quib.* t. 17. *Virtutes item divinæ & angelicæ, quæ eminentius quid virtutib. moralibus humanis, de quo aliquid* d. 2. t. 5. *adductum.* Opposita *ejus sunt secundaria & primaria.* Secundarium *oppositum virtutis est* incontinentia, *quâ quis affectibus movetur ad malum, etsi pœnitudo & dolor subsequatur. Vt cum quis nimiùm voluptati indulget, sed affectu præventus, postea non placitũ est agere, & cupiditate expletâ dolor de actione succedit. De hac* d: 9. *dicetur aliquid. Et* virtutis abusus, *cum actus perversus ab habitu bono producitur, quo habitus natura exertitur & labefactatur. Quomodo virtutib⁹ malè quandoq; per accidens nos uti posse concedunt Authores,* V. J. Mart. C. 3. d. 7. q. 9. *Cum aliàs* per se *rectè virtute aliquem malè uti posse negetur.* Conf. Aristot. l. 2. ma. Mor. c. 7. l. 1. Rhetor. c. 9. Timpler. l. 5. Eth. c. 5. q. 5. *agetur.* Primariũ *est vitiũ morale, de quo jam aliquid addendum.* Vitium *à vitando dicitur, quòd vita-*

*vi debeat. Sumiturq́;* interdum *pro maculâ corporis, quomodo verrucam vitium faciei, & domum vitium facere dicimus, cum ad ruinam inclinat:* interdum *pro maculâ animi, ut hoc loco, undè actus malus consequenter vitium dicitur, quia ab vitio interno animi prodit. Dicitur etiam malum, ratione defectus & inconvenientiæ ad legem & rectam rationem, quod* & *potentialiter,* & *actualiter* & *habitualiter interdum sumitur:* Culpa *ratione reatus in principio committente:* peccatum, *ratione subjecti intelligentis:* prævaricatio *ratione legis prohibentis:* macula, delictum, pravum, labes, erratum, facinus, scelus, &c. *Inter quædam quomodo nonnulli distinguant,* V. ap. D. Meisn. p. 3. P. S. s. 1. c. 4. q. 1. Popman d. diff. verb. p. 115. Definiri *potest* habitus electivus, prava à mediocritate vel excessu vel defectu recedentia assumens. *Dicitur* habitus *non strictè, quasi esset vera & positiva qualitas in subjecto, cum formaliter omnis vitiositas sit privatio, non positio: & quod positivum in malo morali est, materiale in eo est, & commune habitui bono & malo, non formale, & solius malitiæ proprium: Esset enim istud positivum* aut *à Deo, & sic Deus prima causa mali statueretur, quod absurdum:* aut *à Diabolo & homine, sic Creatura ens positivum & reale producere vel introducere (perinde hìc est, quomodo dicas, nec satisfacit curiosè quæsitum discrimen,) posset sine concursu causæ primæ, & sic independenter ageret, quod etiam absurdum, ut in Metaphysicis contra Cajetanum, Medinam, Victoriam, Canum, Vasquium, aliosq́; uberiùs disputatur, & ego peculiariter aliquando evincam, cum occasio tulerit: Sed* analogicè, *quia instar habitus per crebros actus vitium morale acquiritur: difficulter è subjecto, in quo radicatum est, amovetur: operationis inclinationem & facilitatem agenti conciliat: delectationem insequentem instar habitus*

*tus virtuosi comitem habet, & Ethico considerandi modo materiale s. Subjectum in malo, cum formali, ipsâ privatione mali, simùl complicatur, & complicatè pro uno sumitur. Vnde habitus malus, actus malus, voluntas mala dicitur, non solùm habitus, actus, aut voluntatis malitia. Quomodo & in Theologicis ista complicari solent, unde mala agere, patrare, facere dicimur, ut ostendi* dec. 2. d. 3. t. 15. Habitus electivus, *ut notetur, vitium morale esse voluntarium, ut culpa rigidè dicta intrinsecè sit libera & nostri arbitrij, ut ex pœnarum inflictione & injuriâ, quæ culpis moralibus inest, & oppositis actionibus necessarijs, quæ pœnas nec merentur, nec accipiunt, patet. Involuntarijs enim pœna non infligitur, sed voluntarijs. Vnde rectè dicitur:* In crimine non tàm rei effectus, quàm peccantis affectus spectandus est. *In Theologicis peccata quadam dicuntur involuntaria, & tamen verè proprieq; sunt peccata, ut contra Papistas pluribus disceptari solet.* V. D. Meisner. c. l. q. 2. *Sed hic in foro* civili & morali *versamur, non spirituali.*

21. Divisio *vitij moralis varia est.* 1. Vitium est vel omissionis vel commissionis. Omissionis, *quod in omissione legis & præcepti consistit, & opponitur præcepto affirmativo. Vt sanctificabis sabbathum, Deum coles, parentes honorabis. Si quis ea non faciat, peccat peccato omissionis. Sic si miles excubare & pugnare jussus utrumq; omittat.* Commissionis, *quod in Commissione à lege prohibiti consistit, & opponitur præcepto negativo. Vt, non furaberis, occides, mœchaberis: si quis contra illa agat, peccatum commissionis committet.* Commissionis vel est *intrinsecè tale, quod simpliciter legi naturæ & rectæ rationi adversatur, ut furari, mœchari:* vel extrinsecè, *quod ob certam legem positam est malum, etsi in sua naturâ sit moraliter indifferens quid. Tale quid in*

*V. T. erat comedere carnem suillam, leporinam, cadaverosam, ob legem vetantem,* Lev. 11. v. 6. 7. 40. *Multa de vitio omissionis & commissionis & jucundè disceptari possent, veluti:* Qualis *illa sit divisio in malum omissionis & commissionis?* Quomodo *membra ejus differant?* An *peccatum in universum sumptum exhauriant?* An *salvâ privatione cujusvis peccati rectè aliud commissionis dici queat, & omissionis contradistingui?* An *peccatum omissionis queat sine ullo actu esse?* An *actus omissioni culpabili conjunctus sit peccatum?* An *actus, qui est causa omissionis, sit peccatum distinctum ab ipso omissionis peccato?* An *omissione peccetur, cum causa futuræ omissionis datur, an cum reipsâ omittitur actus præceptus? Hæc & similia brevitatis gratiâ sunt omittenda. Videantur de illis* Becanus p. 2. T. 1. Th. Sch. tr. 2. c. 3. Valentia T. 2. d. 6. q. 1. p. 4. 5. Scharpius T. 1. Curs. Theol. c. 16. *aliiq́;*.

22. 2. Vitium vel est generale, *quod omni virtuti in universum opponitur, omnemq́; tollit, ut feritas vel bestialitas morum, qualis in barbaris quibusdã & ab omni cultu humano alienis est:* vel speciale, *quod determinatæ virtuti opponitur. Vt avaritia, luxus, injustitia, audacia, &c. Hoc* duplex *est,* vel excessus, *quando plus, quàm par est, â medio receditur:* vel defectus, *cum minus, quàm par est, medium servatur. Vnde quævis virtus duplex sibi oppositum vitium habet, vel per nimium & excessivè, vel per minimũ, & defectivè, etsi utrumq́; non semper speciali & usitato nomine appellare possimus, ut* th. 10. *notatũ. Vbi erit duplex vitiũ* non re *semper & actione diversâ, sed* ratione *saltẽ, ut una quâ rem & essentiã actio vitiosa maneat, Vt in injustitiâ apparet, ubi* & *excessus est ratione sumentis,* & *defectus ratione patientis.* Cur autem uni virtuti duplex opponatur vitium, *cum tamẽ honestas ac bonitas virtutis unica sit, causa est, quia ista bonitas virtutis duplici debito morali præstando subsìtat: uno, quo tenetur benè agere: altero, quo tenetur non plus aut minus agere, quàm per prudentiã moralem præscribitur. Ex isto debito est duplex vitiositas virtuti opposita: Vna, cum agere satis rectè omittitur, quod vitiũ in defectu importat: altera cum plus agitur, quàm satis rectũ sit, quod vitiũ in excessu facit.* 3. Vitiũ est vel primariũ, *quod consultè & plenariâ voluntate fit, ut cum dolo & culpâ rigidâ aliquid patratur, quæ lata, levis, levissima ICtis dicitur:* Vel secundariũ, *quod inconsultè & non plenâ voluntate patratur. Vt quod fortuitò fit, veluti si quis ligna cædere volens hominem jugulet.* Deut. 19. v. 5. 6. *Quod sine proposito nocendi fit, veluti si quis ignem ad necessitatem in agro struat, & ventus ignem la-*

*tius*

*tius ad incendium segetum & arbustorum conijciat: Quod ex affectu vehementiore & homine digno fit, Veluti cum Moses tabulas ipsius Dei ex zelo erga religionē Dei & apostatarum idololatriam confregit.* Exod.32.v.19. *Si affectus sit homine indignus, non inveniet excusationē. Vt si quis invidiâ, odio, ebrietate studio accersitâ, iracundiâ sponte assuefactâ, aut simili impetu habituali aliquid committat.*

23. Affectiones *vitij moralis etiam variæ esse possunt, & bonam partem ex affectionibus virtutis liquent. Eæ sunt* turpitudo infamia, & inhonestas, *quam subjectis suis conciliat.* Imparitas, *quâ vitium aliud alio vitio morali gravius & levius est, ut* partim *ex scripturâ,* Mat. 11. v. 21. Joh. 19. v. 11. 1. Joh. 5. v. 16. 17. partim *ex naturâ & ratione patet: Nam bonitas virtutis vitio oppositæ in unâ virtute ratione gradus, objectorum, circumstantiarum, & similium requisitorum major est, quàm in aliâ, E, & vitia istam bonitatem tollentia in suâ vitiositate erunt graviora alijs. Sic gravius est vitium adulterium scortatione, gravius homicidium furto, levius, timiditas injustitiâ. Secus ac senserunt* Stoici ap. Ciceron. 3. paradox. Jovinianus ap. Augustin. l. d. hær. c. 82. *qui omnia vitia paria dixerunt. De quorum rationib. in discursu videbimus.* Oppositionis varietas, *quâ variè* & *virtuti,* & *vitÿs alÿs opponi potest. Virtuti opponitur* & privativè & contrariè. Privativè *ratione formalitatis in vitio, quæ privatio per* th. 20. Contrariè *ratione materialitatis, quæ est qualitas & habitus analogicus malignitatem habens, & principium oppositorum virtuti actuum existens. Sic in illis, quæ mixtam velut ex positivo & privativo obtinent naturam, idem alio respectu & contrariè & privativè opponitur. Contrarietatis fundamentum est positivum illud, quod in mixto includitur: Privationis privativum, quod simul concurrit. Sic claudicatio* privativè *ad rectum incessum se habet, quâ rectitudinem in incessu tollit:* Contrariè, *quâ incessum includit, ut incessus rectus & distortus velut contrariæ species motus animalis sint.* Vitiis *inter se vitium opponi potest* & absolutè & comparatè. Absolutè *ratione mutuæ distantiæ & dissimilitudinis inter se. Hoc modo vitium magis est oppositum vitio extremo, quàm mediæ virtuti, quia partim magis distat ab extremo, quàm medio, quomodo punctum inchoans & terminans plus distant in lineâ, quàm inchoans, & continuans: & 3. & 9. plus distant in extremis, quam in medio 6. partim magis dissimile & adversum est alteri vitio, quàm medio: sic avaritia magis adversatur prodigalitati, quam liberalitati, adeoq; illius naturam magis tollit & destruit, quàm hujus. Interim* ratione bonitatis *& malitiæ, honestatis & pravitatis, perfectionis & destructionis moralis, plus opponitur vitium virtuti, quàm alteri vitio: quomodo & extremum magis ratione virtutis, quàm alterius extremi dicitur. Conf.* Bachman. C. 1. q. 54. Gutkium d. 4. Eth. q. 4. Comparatè *ratione majoris accessus ad medium,* vel *recessus à medio. Extrema* inæqualiter *opponuntur medio, ut interdum magis defectus repugnet virtuti, interdum excessus. Sic à fortitudine magis distat timiditas, quàm audacia: à temperantiâ magis abit intemperantia & voluptas in excessu, quàm anaistesia & stupor in defectu. Nam ut virtus medium rationis erat, quod magis minusq; se ratione circumstantiarum habere poterat,* v. t. 7. 8. *Ita vitium est extremum etiam latitudinis alicujus, quod interdum magis, interdum minus à medio abesse potest. Et hæc* de virtute & vitio in genere *per theses dicta sufficiant.*

